



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

VIII. De ordinatis contra interdictum, & de iis qui ordinati filios genuerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

VII.

Nec illud prætermittendum fuit, quod Synodi sententia definitum est, vt clericum alterius secundum statuta Canonum nemo suscipiat, neque suæ ecclesiæ licet in alio gradu audeat ordinare, neque abiectum recipiat in communionem.

VIII.

Hi autem qui contra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio filios genuerunt, ne ad maiores gradus ordinum permittantur, Synodi decreuit auctoritas. Incolumes vos Dominus noster æuo longissimo conseruare dignetur, domini fratres dilectissimi.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

1. *Anno Christi CCCXCVII.*] Huic anno adscribendum censuit Baronius: Septembrem vero mensẽ designat Synodi præfatio. Verum ex Zosimi papæ epistola II. & altera eiusdem ad Africanos, constat, quo tempore habita est Synodus Taurinensis, Briccium apud Turonos episcopum fuisse. Habita ergo est post mortem S. Martini, cui Briccius successit. At Martinus veterum consensu mense Septembri anni CCCXCVII. nondum e viuus excesserat. Quare hic annus Synodo non congruit, quod si eos audimus, qui Martini obitum in annum Christi CCCC. vel longius etiam reuolunt, Synodi pariter epocham differri oportebit.

2. *Qui Felici communicant.*] De quo dictum in Synodo Treurenti. Male autem in vulgatis, *qui Felici non communicant.* abest enim a manuscriptis negatio, & abesse debere res docet.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Acta Concilii.

2 *Concilium.*] Hoc Concilio, principio, duæ istæ epistolæ, in causa communicationis cum Felice Ithacianæ factionis episcopo, a Siricio & Ambrosio ad Taurinensem Synodum scriptæ, de quibus supra, lectæ fuerunt. Deinde, altercationes inter Arelatensem & Viennensem episcopos de primatu certantes, sedatæ sunt. Illi enim ciuitati primam dignitatem adiudicarunt, quæ se eius prouinciæ metropolitim esse ostenderet. Tertio declaratum fuit, Narbonensis ecclesiæ primam sedem esse apud Massilienses, atque Proculum eiusdem sedis episcopum, metropolitanum episcopum habendum esse.

3 *Tau-*